Descriptio Brabantiæ generalis.

dem terræ dedit nomen, sed veterem titulum Ducis Brabantiæ resumpserit, omissum fortassis ab decessoribus ob causas in Lothariæ descriptione expositas.

Termini. Brabantia versus Septentrionem terminatur Mosa flumine, quo partim a Geldris, partim ab Hollandis distinguitur; ab Austro adjacent illi, Hannonia, Comitatus Namuri & Diæcesis Leodicensis; ab Ortu est idem fluvius Mosa, quo disjungitur rursus ab alia Gelriæ parte; ad Occidentem partim Scaldis est, quo separatur a Flandris, partim cum Comitatu Alostano cohæret. Quod ejus magnitudinem attinet, viginti fere atque duabus leucis in longitudinem patet, sumpto dimensionis initio ab Gemblaco, quod ad Austrum est, oppido, versus Septentriones *Gertrudobergum* usque: in latitudine vero incipiendo ad Ortum abinde *Helmonda* versus Occasum & *Bergozomium*; qua nimirum latissima leucas habet præterpropter viginti; circuitus ejus octoginta plus minus leucarum est.

Aëris & cæli ratio. Clemens ubiq; & salubre Brabantiæ cælum, ager planus ac majori ex parte frugum ac fructuum fertilis; licet enim natura Campania sterilis; tamen humanus cultus & improba quædam industria, multis pecorum gregibus & crebra strercoratione ita luculentur defectum hunc explet, ut & bonus reddatur tractus & fertilis. Est deinde Brabantia non lacubus tantum, paludibus, stagnis; sed & eximiis & utilissimis fluviis passim irrigua, quorum præcipui Mosa & Scaldis supra nobis descripti. Nemoribus etiam & sylvis sufficienter instructa inter quas maxime nobiles *Sogniacensis*, *Zaventerlea*, *Grootenhoutium*, *Grootenheista*, *Meerdalia* quas alibi etiam attigimus. Imprimis vero pulcherrimis urbibus, oppidis, arcibus, pagis, aliisque magni nominis Dynastiis illustris. Urbes & oppida in hac ditione numerantur viginti & sex muris cincta: *Lovanium* nempe, *Bruxellam*, *Antwerpiam*, *Buscumducis*, quæ capitales, ut vocant & primariæ ditionis totius urbes: sequuntur hinc *Thenæ*, *Lewia* & *Nivella*, quę capitales minores: inde *Areschotum*, *Bergozomium*, *Megæ*, *Bredæ*, *Diesthemium* & *Trajectum ad Mosam* oppida eminenti quadam dignitate; denique *Stenoberga*, *Lira*, *Vilvordia*, *Gemblacum*, *Iudonia*, *Hannutum*, *Bergozomium*, *Landa*, *Hala*, *Sichemium*, *Herentalium*, *Eindovir*, *Helmonda* & *Gravia*. Inveniuntur in eadem Brabantia decem, & octo oppidula, quæ etsi muris non cincta, propter alias tamen conditiones suas & qualitates, accipiuntur tractãturque eodem cum illis gradu, paribus gaudent privilegiis & libera passim audiunt municipia, quod nimirum nundinarum illis & mercatus liberum jus. Ea sunt *Ostervicum*, *Orschotum*, *Turnhoutum*, *Hoogstrata*, *Dufflia*, *Walhemium*, *Mercta*, *Asca*, *Turnia*, *Duysburgũ*, *Isca*, *Hulpia*, *Wavria*, *Brenna* quam volunt allodialẽ, *Gennapum*, *Gela*, *Arendoncum*, *Domalia*. Pagi autem turriti, eo quod in Campania rariores, numerum septengintorũ non excedunt, sed plurimi inter eos insignes & variis dignitatum titulis præcellentes, quales *Fanum D. Odenrojæ*, *Boxtelia*, *Rosendalia*, *Hucquela*, *Lilloo*, *Grimberga*, *Goesbeca*, *Revesium*, *Levodalia*, *Wesemelia*, *Cranendonckum*, *Cuquia*, *Boutersemium*, *Iaucæa*, *Sombrevium*, *Gozelisia*, *Hilverembeca*, *Walwicum*, & alii.

Urbes & oppida. *Oppidula.* *Pagi.*

Incolæ ibidem nati plerumque læti, animosi & humani quæ naturę insitiva qualitas ad mortem usque illis adhæret, siquidem senio decrepiti vires amittunt, at non suam illis innatam animi hilaritatem. Quare in proverbium abiit: Brabantinus quo senior eo dementior. Hodie eorum natio summopere mutatur, præsertim in urbibus ubi magna Italorum, Hispanorum aliarumque gentium extranearũ copia visitur, cum quibus illis consuetudo & conversatio magna, quo fit, ut omni industrię genere imbuantur. Brabantia regimen hodie aliter se habet quam dum vixit uterq; *Albertus* & *Isabella* Archiduces Austrię, Duces Brabantiæ, &c. quod indies magismagisq; mutationi subjicitur, & perpetua belli libra libratur, nunc ad illam mox ad hanc partem inclinante.

Incolarum natura.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [19] - -
PUBLIC DOMAIN